

# De articulis fidei, Liber I.

32

codē 5. Iustificati ex fide habemus pacem ad Deum per Domini nōstrū Iesum Christum. Fides beatificat, Ioh. 20. Thoma, quia me vidisti credidisti, Beati qui non viderunt, & crediderunt.

Ad fidei enim perfectionem 7. requiruntur. primum quod sit primae virtuti innixa; sicut fides Moysi, qui negauit se esse filium filiæ Pharaonis &c. secundum, quod fides sit charitate formata, sicut fides Magdalenaæ. tertium, quod sit deuotione feruida: sicut illius mulieris cui dixit Dominus, O mulier magna est fides tua &c. quartum, quod sit bonis operibus probata sicut fides Cornelij. act. 10. quintum, quod sit fortitudine roborata; sicut fides beati Stephani, Laurentij &c. vnde secundum Macrobius. Fortitudo est turpia metuere, prospera, & aduersa fortiter tolerare. quoniam fortis omnia faciliter tolerat, propter illud quod amatur, secundum Aug. sextum quod sit obedientia decorata; sicut fides Abrahæ. septimum quod sit humilitate fundata: sicut fides beatæ Mariæ dicentis, Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Lucae primo. Sed quia dicit auctor in littera sua sic bene nisi credendo saluaberis, &c.

Est notandum quod differentia est inter credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Credere Deo, est credere vera esse, qua loquitur. Credere Deum, est credere Deum esse, & ita faciunt plures mali. Credere in Deum est credendo diligere, & diligendo ei adhaerere & eius membris incorporari; secundum Mag. sen. 23. di. 3. credendo in eum, quis iustificat impium ad Romanos quarto. &c.



DE